4

DIRECTORIUM

AD EFFORMANDOS, ET CONSTRVENDOS AVTHOritate Ordinaria duos Processus; quorum primus vocatur *Informativus*; secundus autem dicitur *De non cultu*, alicujus Servi, vel Servæ Dei; tàm juxta Bullas Apostolicas felicis recordationis Vrbani VIII. quàm juxta novissima Decreta Sanctissimi Pontificis Innocentij Vndecimi, & Sacrorum Rit. Congregat.

UT in Sacr. Rituum Cangregatione agi posſit de Beatificatione, & Canonizatione Servi Dei N. construendi primo Loco sunt duo Processus auctoritate Ordinaria Illustrisſimi, & Reverendisſimi D. Archiepiscopi, vel Episcopi, alter super fama Sanctitatis, Virtutum, & Miraculorum ejusdem Servi Dei, qui *Informativus* nuncupatur, & alter super cultu publico eidem Servo Dei non exhibito.

Titulus utrisque Processus dicat sic: Barchinonen. *vel* Cæsaraugustan. *vel* Corduben. Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei N. *vel* Servæ Dei N.

In construendis his duobus Procesſibus servanda est forma, quæ tum de Jure, tum de Decretis ejusdem Sacræ Congregationis præscribitur; ad quem effectum nonnulla inferius adnotabimus, quæ præcipua & principaliora sunt, quæque indispensabiliter observari debent.

Circa constructionem Processus Informativi.

PRimo advertendum est, quod Illustrisſimus, & Reverendisſimus D. Episcopus ad instantiam Procuratoris Causæ, legitimum mandatum procuræ habentis, inchoare, & construere poterit dictum Informativum Processum. Ipso verò Illustrisſimo Domino Episcopo legitimè impedito, ob gravia sui Episcopatus negotia & occupationes, deputare poterit suum Vicarium Generalem, vel alium in Dignitate Ecclesiastica constitutum, in Judicem Commissarium dicti Processus, necnon Magistrum in Sacr. Theologia, & alium Virum Graduatum, vel Licentiatum in Jure Canonico, in Adjunctos ipsius Judicis Commissarii, cum omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis, pro legitima constructione dicti Processus. Deinde, deputare debet Promotorem Fiscalem in Promotorem Fidei; & in Notarium Actuarium deputabit Notarium Publicum, qui creatus sit authoritate Apostolica, aut saltem Ecclesiastica; adeò ut non sufficeret, si creatus solum esset authoritate Sæculari, aut Regia. Et denique deputare debet unum, vel duos Nuntios, sive Cursores, pro exequendis citationibus. De præfata verò Procuratoris instantia, & de impedimento

Reverendissimi Episcopi, atque de prædictis Delegationibus, & Deputationibus constare debet in Processu, in quo registrari, & extendi poterunt hujusmodi actus, juxta stylum, & morem Regionis.

2 Advertendum est, quod Promotor, ut supra deputatus citari debet in quolibet actu, saltem per diem ante; quia ipse singulis actibus, tanquam pars formalis interesse debet, adeo ut ad nullum prorsus actum Processus validè procederetur, nisi ipso citato, atque interveniente. Promotor verò in quolibet actu, sive post instantiam Procuratoris, protestatur semper de observantia Decretorum Sacræ Rituum Congregationis.

3 Judex, & Adjuncti, ut supra deputati, prævia citatione contra dictum Promotorem, acceptare debent jurisdictionem sibi ipsis demandatam; eaque acceptata, jurare debent de fideliter exercendo eorum munere, & de secreto servando juxta formulam, quæ traditur in novissimis Decretis Sacr. Congregationis, & quæ dabitur infra.

4 Hujusmodi Juramentum, mutatis mutandis, præstare debent, tàm Promotor Fidei, quàm Notarius actuarius; advertendo tamen, quòd ad juramentum Notarii Actuarii rogari debet alter Notarius publicus Apostolicus, ibidem præsens; quia Notarius actuarius non potest fidem facere de juramento à se ipso præstito, & uterque Notarius exhibeat litteras patentes sui Notariatus, eæque in Processu registrandæ sunt. Nuntii autem deputati pro exequendis citationibus, præstare solummodo debent juramentum de fideliter exercendo eorum Officio, non verò de servando secreto.

5 Prædicta juramenta præstari debent ab omnibus, tactis SacroSanctis Evangeliis; excepto solùm Reverendissimo D. Episcopo, quatenùs ipse constructioni Processus intervenire vellet, quia Episcopis, & Cardinalibus, tantum in hisce causis permittitur jurare tacto pectore.

6 Quodlibet ex prædictis juramentis extendatur distinctim, & separatim; adeò ut in Processu appareant extensa tot juramenta, quot sunt Personæ, quæ illa præstiterunt; & id servari etiam debet in juramentis testium, ut inferius dicemus.

7 Procurator Causæ post exhibitionem sui Mandati Procuræ, juramentum calumniæ præstare debet; jurando in Animam constituentis, se non accesisse ad Causam & confectionem præsentis Processus odio, timore, amore, seu aliquo alio interesse, aut respectu humano, sed solùm zelo honoris, & gloriæ Dei, qui glorificatur in Sanctis suis.

8 Prædicta omnia juramenta subscribi debent à supradictis omnibus Personis, quæ illa ut supra præstiterunt.

9 Duo loca per dictum Dominum Judicem, & Adjunctos, deputanda sunt; & in quolibet eorum Locus Loci. Primus, ad actus publicos Processus, & alter ad juramenta, & examina testium recipienda. Pro primo

mo Loco deputari poteſt Palatium, aut ſolita Reſidentia ejuſdem Domini Judicis;& pro Loco Loci, Aula in qua datur Audientia, aut alia Ædes dicti Palatii. Pro ſecundo Loco deputari debet aliqua Eccleſia, & pro Loco Loci aliqua Capella, ſeu Sacellum dictæ Eccleſiæ, in qua, ſeu in quo celebrari ſoleat Miſſæ Sacrificium; adeo ut non ſufficeret Oratorium privatum, ubi Miſſa non celebratur; quia hic Locus Loci debet eſſe omnino ſacer. Pro teſtibus infirmis, ſi qui ſunt, deputari debet pro Loco, eorum Domus, & pro Loco Loci cubiculum, ſeu cubicula dictæ Domus. Idemque ſervandum eſt circa examen Monialium, dum pro Loco deputari debet earum Monaſterium, & pro Loco Loci Collocutorium dicti Monaſterii.

10 Deputari etiam debent dies, & horæ pro conficiendo Proceſſu; qui dies, non eſt neceſſe, quòd ſint juridici; non enim debent eſſe feriati in honorem Dei, & Sanctorum; & advertatur, quod quilibet actus Proceſſus expleatur in loco deputato, atque diebus, & horis ſub quibus cadunt citationes.

11 Citationes exequi ſemper debent Perſonaliter, per alterum ex Nuntiis deputatis, & ab eo facienda eſt relatio dictæ executionis in calce ejuſdem citationis.

12 Acta extendantur per Notarium Actuarium; ita ut ipſe referat, quæ in qualibet Seſsione geruntur.

13 Articuli ſuper quibus examinandi ſunt teſtes, confici debent à Procuratore Cauſæ, & ab ipſo in actis producendi ſunt cum notula nominum, cognominum, qualitatum, & ætatis teſtium, qui examinari debent.

14 Ex dictis Articulis (quorum copia de mandato D. Judicis tradenda eſt Promotori Fidei) conficere debet prædictus D. Promotor interrogatoria, eaquè in Actis producenda ſunt, clauſa, & ſigillata, cum proteſtatione ipſius D. Promotoris, quod non aperiantur, niſi in Actu examinis teſtium, eoquè abſoluto, atque ſuſpenſo, denuò claudantur, & ſigillentur; neque ea aperiantur, niſi in Actu novi examinis, aut proſecutionis primi nondum abſoluti, aut ſuſpenſi.

15 Prædicti Articuli conficiendi ſunt ſuper Patria, Parentibus, Nativitate, Baptiſmo, & Cõfirmatione Servi Dei; ſuper ejus educatione, & ſuper ſignis, ſi quæ præbuit futuræ Sanctitatis in ejus infantia, aut pueritia; ſuper Profeſsione Servi Dei, & ſuper omnibus, & ſingulis virtutibus Theologalibus, & Cardinalibus, earumque annexis, quas Servus Dei in gradu eminenti, & heroyco exercuit. Super Donis ſupernaturalibus, Miraculis in vita. Super fama ejuſdem Sanctitatis in vita, ſuper ejus feliciſsimo obitu, & Actibus amoris Dei, humilitatis, contritionis, & quæ in ultima ejus infirmitate peregit; & ſuper ſignis, quæ tunc præbuit, quod ſtatim poſt obitum in Cœlum evolaverit. Super fama Sanctitatis, & Populorum con-

curſu ad funus Servi Dei; ſuper eodem concurſu ad ipſius Sepulchrum; ſuper fama Sanctitatis, & Populorum devotione, quæ poſt ipſius obitum in dies augetur, & percrebeſcit, abſque ulla interruptione, & contradictione; & non ſolum apud Perſonas vulgares, verumetiam apud Perſonas Illuſtres, Noviles, Prudentes, Pias, & Doctas; & non ſolum in loco, in quo obiit Servus Dei, & in loco, in quo de præſenti requieſcit, ſed etiam in tota ejus Diœceſi, & in aliis Diœceſibus, Provinciis; & ſuper odore ſupernaturali, & incorruptibilitate pariter ſupernaturali ejuſdem ſacri Corporis; & denique ſuper Miraculis, quæ poſt obitum ad illius interceſsionem edidit Altiſsimus; diſtinguendo ſemper, & ſpecificando omnia prædicta exactè, & cum omni diligentia, ad hoc ut teſtes deponere valeant in ſpecie, & non in genere omnia, quæ ſciunt.

16 Teſtes, qui ut ſupra examinandi ſunt, ſint Perſonæ optimè informatæ de virtutibus, & ſanctitate ipſius Servi Dei; vel quia eumdem cognoverint, & cum eo familiaritatem habuerint, vel quia eumdem ſpiritualiter direxerint; ſi teſtes ſint Moniales, aut Religioſi profeſsi, exhibere debent in Proceſſu licentias eorum Superiorum, ut jurare, & ſeſe examini ſubjicere poſsint.

17 Quilibet teſtis antequam examinetur, debet prius induci, deinde citari, & jurare per diem ante examen, & demum in actu examinis juramentum repetere.

18 Examen teſtium fiat, ut diximus in loco Sacro ad id ſpecialiter deputato, exceptis teſtibus infirmis, & Monialibus, qui examinari debent in locis particulariter per Judices deputatis.

19 Examen fiat ſecretò, nec interveniat alia Perſona præter Judicem, Adjunctos, Promotorem, Notarium Actuarium, & ipſum teſtem examinandum.

20 Quilibet teſtis prius examinetur juxta omnia, & ſingula interrogatoria per Promotorem facta, & exhibita; & deinde ſuper omnibus, & ſingulis Articulis. Si Judex, aut Promotor ex aliqua reſponſione teſtis opportunum ducat, eumdem teſtem de aliqua circunſtantia interrogare, benè faciet eum interrogando.

21 Reſponſiones teſtium dictentur Notario à D. Judice, prout ab ipſo teſte proferuntur; & eo idiomate, quo teſtis loquitur.

22 Quilibet teſtis, tàm juxta interrogatoria, quàm ſuper Articulis reſpondeat diſtinctè, ac præcisè; non per relationem ad diſpoſitionem alterius teſtis, nec ad atteſtationem, quam fortè ipſe antea feciſſet; poteſt tamen ſe referre ad reſponſionem ab ipſomet datam ſuper alio interrogatorio, ſeu Articulo.

23 Quilibet teſtis, tàm juxta interrogatoria, quàm ſuper Articulis reddat cauſam ſcientiæ, de eo quod dicit; & loquendo de auditu, nominet Perſonas à quibus audivit.

Si

24 Si testis in depositione alicujus circunstantiæ substantialis nominet aliquam Personam consciam, quæ non fuit per Procuratorem inducta; Promotor debet finito, aut suspenso examine dicti testis, oretenùs admonere Procuratorem Causæ, ut inducat talem Personam in testem; & postea, servatis ut supra servandis, examinetur.

25 In fine cujuslibet Sessionis (sive examen testis suspendatur, sive terminetur) testis ipse se subscribat; & si nesciat scribere, faciat signum Crucis sic † in fine suæ depositionis,& post subscriptionem testis,se subscribant Judex, Adjuncti,Promotor, & ultimo loco Notarius Actuarius.

26 In fine cujuslibet Sessionis examinis, Notarius Actuarius de mandato D.Judicis moneat Promotorem, ut intersit futuræ Sessioni, tali die,& hora; & in principio examinis, seu prosecutionis illius, exprimatur prædicta monitio.

27 In fine cujuslibet Sessionis examinis, tàm depositiones testium, quàm interrogatoria claudantur, & obsignentur sigillo D.Judicis; & aperiantur solum in principio alterius Sessionis examinis;& de hac clausura, sigillatione, & apertione respectivè constare debet in Processu, toties quoties examen suspenditur, aut absolvitur, & respectivè resumitur,aut aliud inchoatur.Et hæc diligentia omittenda solùm est in examine ultimi testis, quia post ejus responsiones non requiritur talis clausura.Imò ultimo examine peracto, Judex debet mandare, ut in Actis registretur per Notarium Actuarium tenor Interrogatoriorũ Promotoris Fidei;& advertatur, quòd non in alio loco Processus, sed hoc loco tantùm, nempè post absolutum examen ultimi testis apparere debet registratio dictorum Interrogatoriorum.

28 In examine unius testis fieri possunt tot Sessiones, quot erunt necessariæ; & si una Sessione examinari possint plures testes, id etiam fieri non prohibetur, dummodò serventur omnia superius notata.

29 Præter testes à Procuratore inductos, D. Judex debet inducere alios tres, vel quatuor testes ex officio, & hi examinari debent prævio duplici juramento, hoc est ante examen, & in actu examinis, sub distinctis diebus, ut de aliis testibus dictum est. Et tale examen fieri debet post receptum, & completum examen omnium testium à Procuratore inductorum, & absque scientia ipsius Procuratoris; ideòque hi testes non sunt citandi, sed per Promotorem oretenus monendi, & in eorum examine servanda est clausura, & aperitio respectivè Interrogatoriorum, & depositionum testium, & cætera superius adnotata.

30 Testes callentes linguam latinam, respondere poterunt ad interrogatoria,& Articulos linguà latina, ad hoc ut parcatur sumptibus,qui Romæ fiunt, in traducendo testium depositiones ab idiomate Hispanico in sermonem Italicum.

31 Si aliqui ex Confessariis, vel Directoribus spiritualibus Servi Dei mortui fuerint, vel in Regiones longinquas abierint, ita ut examinari non possint, atque iidem reliquerint aliquod scriptum, seu memoriam concernentem virtutes, & Sanctitatem Servi Dei; in hoc casu compulsanda erunt in Processu dicta eorum scripta, seu memoriæ, & quæ magis utilia, & convenientia judicabuntur ad comprobandam ejusdem Servi Dei Sanctitatem; Quorum tamen compulsatio fieri debebit prævia recognitione caractheris dictorum Scriptorum, seu per testes facienda, qui deponant, & causam reddant, quòd tale scriptum sit talis Personæ, quia illam scribere sæpius viderant, vel quia notam manum habent ejusdem Personæ, adeò ut dubitari non possit, quòd tale scriptum sit ejusdem Personæ; & hæc compulsatio, atque recognitio facienda est coram Judice, Adjunctis, & Promotore, & prævia citatione contra eundem Promotorem, quæ per diem ante facienda est, servatis omnibus aliis, quæ, *& in Cap. finali de Fid. instrum.* disponuntur, ut latè explicant Doctores.

32 His absolutis, D. Judex deputare debet aliquem scribam, pro transcribendo toto Processu hucusque peracto; deinde deputare debet alterum Notarium Publicum, & Apostolicum, pro collationanda copia, seu transumpto dicti Processus, ut supra transcripto cum Actis originalibus, eidemque Notario deferat juramentum de fideliter facienda dicta collatione.

33 Prædicta collatio, & auscultatio facienda est per Notarium Actuarium, & alterum Notarium, ut supra deputatum coram ipso D. Judice, Adjunctis, & Promotore, hoc modo: Notarius Actuarius alta, & intelligibili voce legat copiam, exemplum, seu transumptum dicti Processus, & Notarius Deputatus habeat sub oculis Acta originalia. Si in legendo aliquos errores adnotari occurrent, D. Judex corrigi, & emendari mandet dictum exemplum, seu transumptum; adeo ut in omnibus, & per omnia respondeat actis originalibus; & sub qualibet ex dictis correctionibus, & emendationibus, quæ adnotabuntur in margine dicti transumpti, se subscribant D. Judex, Adjuncti, Promotor, & Notarii supra dicti.

34 Quia verò in una Sessione compleri non poterit dicta auscultatio, & collatio, ideo D. Judex elapso temporis spatio sibi benè viso, aut designato, mandet, dictam collationem, & auscultationem suspendi, & prosequi die..... & hora..... & moneat Promotorem, ad comparendum eadem die, & hora in dicto Loco, pro continuanda dicta auscultatione, & collatione; notando, quod collatio peracta fuit à pagina prima, usque ad paginam..... & sic continuanda est sequentibus diebus dicta auscultatio, & collatio, quousque compleatur.

35 Peracta dicta collatione, & auscultatione, uterque Notarius unus post alium fidem faciat, quòd collatio, & auscultatio dicti transumpti est

folio-

foliorum in totum....... & quod fuit fideliter ab ipsis peracta cum Actis originalibus; & quòd illud in omnibus, & per omnia correspondeat, & concordet cum iisdem Actis originalibus, & deinde sese subscribant.

36 Successive D. Judex interroget Promotorem, an habeat aliquid opponere contra dictum exemplum, sive transumptum; & tunc Promotor illud diligenter inspiciat,& declaret,se nihil habere opponere. Deinde, D. Judex declaret, dictum exemplum, sive transumptum fuisse coram ipso, & D. D. Adjunctis, & Promotore auscultatum, & collationatum, ac fideliter, & legitimè confectum, & in omnibus, & per omnia concordare cum Actis originalibus, & plenam fidem mereri in judicio, & extra, ac si esset idem Processus Origiualis; & desuper interponat suam authoritatem, & Decretum quodcumque necessarium, & opportunum, omni meliori modo, &c.

37 Dominus Judex mandare debet, ut Acta originalia reponantur in Archivum Episcopale, quia id disponitur in Decretis Sac. Congreg. Rituum; deinde mandet Notario, ut sub dicto exemplo, seu transumpto, continuet acta sequentia..

38 Prævia citatione contra Promotórem, D.Judex deputare debet Portitorem dicti transumpti; eique deferat juramentum, de illud fideliter asportando Romam,& consignando in Actis Sac.Rit.Congregationis; dictumque juramentum extendatur in eodem transumpto.

39 Prævia pariter citatione contra Promotorem, D. Judex mandet subscribi, & sigillari dictum transumptum ab intra, sigillo ipsius D. Judicis, sive Illustrissimi D. Episcopi N.& demum claudi,& sigillari ab extra cum sigillo pariter ipsius D.Judicis, sive prædicti Reverendissimi Episcopi; & ita clausum, & sigillatum, consignari debet Portitori supra deputato.

40 Deinde D. Judex se subscribat, unà cum D.D. Adjunctis, Promotore, & Actuario ab intra dicti transumpti; & prædicta sigilla, seu sigillum aponatur; & de his omnibus rogari debet prædictus Notarius Actuarius, sub cujus testimonio addatur legalitas Reverendissimi D. Episcopi, testantis, dictum Notarium Actuarium esse Notarium Publicum, & Apostolicum, ejusque scripturis fidem adhiberi in judicio, & extra.

41 Fiat deinde clausura, & sigillatio dicti transumpti ab extra, cum suprascriptione exprimente, hoc esse transumptum Processus informativi, authoritate Ordinaria confecti, in Causa Beatificationis, & Canonizationis Ven. Servi Dei N. *vel* Servæ Dei N. directa Sac. Rituum Congregationi...... Romam.

42 De hac verò clausura, & sigillatione ab extra facta, nempè sigillo dicti D.Judicis, sive Reverendissimi Episcopi, & de consignatione ejusdem tarnsumpti facta Portitori, ut supra deputato, D. Judex mandet fieri separatim Instrumentum Publicum, quod deinde eidem Portitori consig-

nandum

nandum est; ut illud unà cùm dicto transumpto Romam deferat; atque omnia exhibeat in Actis Sacræ Congregationis.

Forma Iuramenti Iudicis ante incohationem Processus.

EGo infrascriptus, tactis Sacrosanctis Evangelijs coram me posƑitis, juro, & promitto, fideliter adimplere munus mihi Commissum, circa fabricationem Processus in Causa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. *vel* Servæ Dei N. juxta formam Decretorum Sacræ Congregationis Rituum, & præcipuè novissimorum, quæ confirmata fuerunt à SS.D.N. Innocentio XI. necnon juro, & promitto, religiosè servare secretum, tàm de contentis in interrogatoriis, quàm de testium depositionibus super iisdem, & super Articulis; nec de iis loqui cum aliqua persona, exceptis D.D. Adjunctis, Promotore, & Notario, pro eodem Processu deputatis, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi à Summo Pontifice, (excluso etiam majori Pœnitentiario) preter quam in mortis articulo absolvi possim: & ita promitto, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. *Illustrissimus Episcopus jurat, tacto solum pectore.*

Idem Iuramentum præstabitur à D.D. Adjunctis, Promotore, & Notario.

Forma Iuramenti Testium.

EGo infrascriptus, tactis Sacrosanctis Evangeliis coram me positis, juro dicere veritatem, tàm super interrogatoriis, quàm super Articulis, super quibus examinabor, necnon servare secretum, nec alicui pœnitus revelare, tàm contenta in iisdem interrogatoriis, quàm responsiones, ac depositiones à me factas, sub pœna perjurii, & excommunicationis latæ sententiæ, à qua non nisi à Summo Pontifice, (excluso etiam Majori Pœnitentiario) præterquam in mortis articulo absolvi possim; & ita promitto, & juro, sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Hujusmodi juramentum *tactis Sacrosanctis Dei Evangeliis*, præstandum est à quolibet teste, etiàm Sacerdote, & Religioso, & cujuscumque Dignitatis ille fuerit, exceptis tantummodo Cardinalibus, & Episcopis, qui solùm in his Processibus construendis, & quatenùs recipiuntur in testes in Causis Beatificationum, & Canonizationum, jurare possunt *tacto pectore*, non tactis Sacrosanctis Evangeliis.

Circa fabricationem Processus super Cultu Servo Dei N. vel Servæ Dei N. non exhibito.

IN hoc Processu servanda sunt ea omnia, quæ superiùs innuimus circa constructionem *Processus Informativi*, & circa rituale testium examen, & circa reliqua, quæ ad integram, plenam, & legitimam dicti Processus absolutionem requiruntur.

Sin-

Singillatim autem advertendum est, quòd hic Processus conficiatur in loco, ubi jacet corpus Servi Dei; & ulterius, quod Articuli Procuratoris, & interrogatoria Promotoris, super quibus examinari debent testes, efformentur tantummodo ad effectum probandi, quòd Servo Dei nullus cultus publicus exhibitus sit, nec de præsenti exhibeatur; quod ejus Imagines depictæ non sint cum Radiis, Laureolis, vel Splendoribus circa Caput, neque cum titulo Beati, vel Sancti, neque cum aliqua inscriptione, vel alio signo venerationem publicam præseferente; neque quòd dictæ Imagines expositæ sint in Ecclesiis, Altaribus, vel in aliis locis publicis dictæ Civitatis, vel Oppidi; quod ejus Corpus elevatum non sit à terra, sed humatum subtus terram; quod ad ejus Sepulchrum nulla adsit Lampas, vel Cereus appensus, vel accensus; nulla tabula votiva, aut Donarium, sive quodcumque aliud anathema, & nullum denique aliud signum, quod Cultum publicum importare possit.

Testes in hoc Processu sufficiunt octo, vel decem, comprobantes negativam cujuscumque Cultus Servi Dei exhibiti. Hanc autem negativam coarctare debent (& hoc sedulo advertatur) asserendo, nullam prorsus publici cultus speciem Servo Dei præstitam fuisse; quòd si aliqua eidem exhibita fuisset, vel exhiberetur, ipsi pro certo vidissent, aut scivissent.

Post examen prædictorum testium, facienda est judicialis visitatio Sepulchri, & Corporis Servi Dei; in qua visitatione exactè describatur Sepulchrum, ejusque situs, & omnia ornamenta circa illud existentia; ut ex ipsa descriptione appareat, nullum prorsus adesse signum publici Cultus, & venerationis; & ita pariter visitetur, atque describatur ad eumdem effectum Ecclesia, & Altare, sive Ædes Capitularis, in qua requiescit Corpus Servi Dei.

Visitetur postmodum Ædes, & armarium, sive capsa, in qua custodiuntur vota, cerei, & aliæ tabulæ votivæ, delatæ Servo Dei in gratiarum actionem, ob beneficia, gratias, sive miracula ad ejus intercessionem ab Altissimo obtenta; & dum hæc omnia describuntur, describatur etiam diligentia, sub qua custodiuntur in loco secreto, & clauso, prædicta vota.

Denique aperiatur Sepulchrum Servi Dei, & describatur locus, & capsa, in qua conditum extat; & an ea capsa collocata sit supra, vel subtus humum, quia juxta sensum Decretorum Sacræ Congregationis, Corpus Servi Dei repositum esse debet subtus terram; ex quo, existentia ejusdem supra terram, est quædam species publici cultus, quæ à prædictis Decretis prohibetur; ideòque, quatenùs Corpus Servi Dei humatum esset super terram, & sub Altare Ædis Capitularis, exhumari illud debet ante inchoationem præsentis Processus, & recondi, non solum subtus terram, sed etiam extra dictum Altare, & reponi poterit in alium locum dictæ Ædis; vel prope dictum Altare, dummodo non sit sub dicto Altari, quia repositio

Cor-

Corporis subtus Altare, in quo celebratur Missæ Sacrificium; est publici cultus species, quæ pariter à prædictis Decretis prohibetur.

Aperto Sepulchro Servi Dei, D. Judex unà cum Adjunctis mandet duobus, vel tribus Medicis, aut Chirurgis, ut illud Corpus inspiciant, atque recognoscant; an sit, vel dici possit ejusdem incorruptio, supernaturalis, vel potius naturalis; an odor, qui ex eo effluit, sit pariter supernaturalis, aut naturalis, & ex qua causa? Deferat deinde eisdem Medicis, & Chirurgis juramentum de veritate dicenda, & judicio rectè ferendo juxta eorum Artem, & Peritiam super dicto odore, & incorruptibilitate Corporis Servi Dei. Demum mandet, reponi ipsum Corpus in eadem capsa, eandemque claudi, & sigillari, & reponi in locum suum subtus terram; & hæc omnia fieri debent in præsentia D. Judicis, Adjunctorum, Promotoris, Medicorum, sive Chirurgorum, & Notarii Actuarii.

Die sequenti, vel alia à D. Judice designata, comparere debent dicti Medici, & Chirurgi coram eodem D. Judice, Adjunctis, Promotore, & Notario, atque exhibeant in scriptis eorum relationem, seu judicium super odore, & incorruptibilitate Corporis Servi Dei; reddendo causam scientiæ secundum eorum Professionem; quatenùs dictus odor, & incorruptio existimetur miraculosa, & supernaturalis.

His peractis, facienda est citatio ad terminos substantiales, & altera citatio ad sententiam, sub distinctis diebus. Deindè sub die, qua cadit eadem citatio ad sententiam, Procurator instare debet pro reiteratione terminorum substantialium, & prolatione sententiæ super paritione Decretorũ felicis recordationis Vrbani Papæ Octavi, & Sacræ Rituum Congregationis. Dominus Judex admittat Procuratorem ad reiterationem terminorum substantialium, eosque pro ritè, & rectè iteratis, & servatis haberi declaret; & deinde pronuntiet, & sententiam proferat, prout in cedula, quam præ manibus habens, videat, legat, & diligenter consideret, & postea eam manu propia subscribat, & Notario Actuario tradat ad effectum illam in Actis inserendi, cujus cedulæ tenor est, qui sequitur.

Christi nomine invocato, pro Tribunali sedentes, & solum Deum præ oculis habentes, hanc nostram definitivam sententiam, quam de juris peritorum consilio in his scriptis ferimus in Causa Beatificationis, & Canonizationis Servi Dei N. *vel* Servæ Dei N. coram nobis inter Admodum Reverendum Patrem Procuratorem specialiter constitutum ex una, & Admodum Reverendissimum D. N. Promotorem Fiscalem in Promotorem Fidei Deputatum partibus ex altera; de & super, paritione, & observantia Decretorum fel. record. Vrbani P. VIII. in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis editorum super cultu non exhibendo Servis Dei, cum opinione, & fama Sanctitatis defunctis. Visis depositionibus testium, coram nobis examinatorum. Visa descriptione sepulchri ejusdem Servi

Dei

Dei N. Viso toto Processu, & visis denique videndis, & consideratis considerandis, dicimus, pronuntiamus, decernimus, declaramus, ac definitivè sententiamus, nec circa Sepulchrum, seu Tumbam Servi Dei, nec alibi quidquam reperiri, nec ex hoc Processu resultare, quòd cultum publicum, aut venerationem publicam aliquomodo præseferat, aut sit quomodocumque contra formam dictorum Decretorum; sed eisdem fuisse, & esse sufficienter paritum,& satisfactum; & ita dicimus, pronuntiamus, decernimus,declaramus,ac definitivè sententiamus, non solum,&c. sed & omni alio meliori modo.

Ita pronuntiavi Ego N. Episcopus, seu N. Judex ab Illustrissimo, & Reverendissimo D. Episcopo N. deputatus.

Lata, & lecta fuit præsens sententia per dictum D. Judicem, pro Tribunali sedentem in.......... Loco Audientiarum, Actuumque publicorum specialiter electo, & per me N. Notarium Actuarium promulgata, citato, & presente D. Promotore Fiscali Curiæ Episcopalis in Promotorem Fidei deputato, hac die....... Mensis...... Anni...... Præsentibus ibidem N.N. & N.N. ad prædicta vocatis, & rogatis.

Ego N. Notarius Publicus Apostolicus, & præsentis Causæ Actuarius, specialiter deputatus, de rebus prædictis fidem facio omni, &c.

Fiat deinde copia, sive transumptum hujus Processus, ejusque Collatio,& auscultatio, necnon electio Portitoris eomodo,quo dictum est supra de Processu Informativo; & ita pariter fiat clausura, & sigillatio, tàm ab intrà, quàm ab extra hujus Processus.

Ante qnam inchoentur hi duo Processus, semel, & iterum legantur, quæ superius scripta sunt, & consulatur vir utriusque juris Peritus ad hoc, ut in eorum constructione non irrepat aliquis error substantialis circa illius validitatem.

Interrogatorium præsentandum à D. Promotore Fiscali, ut testes examinentur.

PRimæ septem interrogationes deserviunt ad utrumque Processum; aliæ verò superadduntur, & solum conducunt ad Processum *De non cultu.*

Primo. Quilibet testis examinetur, & serio moneatur de vi, & importantia juramenti, & gravitate perjurii; præsertim in Causis gravissimis, & arduis, prout est Causa Beatificationis, & Canonizationis, cum sit de majoribus, quæ peraguntur in Ecclesia Dei.

Secundo. Interrogetur testis de Nomine, Cognomine, ætate, Patria, Exercitio, seu Profesione, & aliis crcunstantiis, ad ejus personam, & conditionem pertinentibus.

Tertio. Interrogetur, an quolibet anno confessus sit peccata sua, & Sacrum Eucharistæ Sacramentum sumpserit? In qua Ecclesia, à quo Sacerdote,

cerdote, & quibus præſentibus, quo menſe, & ubi hoc anno, & ultima vice hoc fecerit?

Quarto. Interrogetur, an fuerit unquam inquiſitus, accuſatus, vel proceſſatus de aliquo crimine? Et quo, & coram quo Judice? Et an fuerit condemnatus, vel abſolutus; & ſi abſolutus, an abſolutio proceſſerit ex capite innocentiæ, vel ex hactenus deductis, vel aliquo alio modo?

Quinto. Interrogetur, an ob aliquam cauſam fuerit unquam excommunicatus, & quoties? Et ex qua cauſa? Et an fuerit abſolutus, vel adhuc perſiſterit in excommunicatione?

Sexto. An fuerit ab aliquo inſtructus, quomodo deponere debeat; à quo, quibus verbis, & quo tempore?

Septimo. An cognoverit, vel audiverit nominare Ven. Servum Dei N? Et ſi affirmativè reſponderit, dicat, qua occaſione, & à quo tempore? *Videantur aliæ interrogationes circa conſtructionem Proceſſus Informativi, ſupr. num.* 15.

In Proceſſu de non Cultu.

Octavo. Interrogetur teſtis. An ſciat, vel dici audiverit, ubi, & quando dictus Servus Dei N. obierit, & quo loco ſepultum fuerit ejus cadaver? Et an ipſe teſtis ad Sepulchrum unquam acceſſerit, & illud frequentaverit; & qua die ultima vice ad idem ſepulchrum ſe contulerit? Et quatenus reſponderit affirmativè, interrogetur de forma dicti ſepulchri, & omnibus illius circunſtantijs.

Nono. An ſciat, vel dici audiverit, quòd corpus dicti Venerabilis Servi Dei N. ſemper jacuerit in Sepulchro, ubi primo humatum fuit poſt obitum, vel aliò tranſlatum; & qua occaſione? Reddendo cauſam ſcientiæ.

Decimo. An ſciat, quòd populus habeat devotionem erga dictum Venerabilem Servum Dei N. & qua occaſione dicta devotio inceperit? Et an adhuc perſeveret? Reddendo cauſam ſuæ ſcientiæ.

Vndecimo. An viderit, vel audiverit, quòd ad Sepulchrum dicti Servi Dei N. vel circum circa, vel in eadem Eccleſia, ſeu in aliis quibuſcumque Oratoriis, Capellis, Altaribus, aut in alio quolibet loco publico, tàm in Civitate, quàm extra, expoſitas, aut retentas aliquando fuiſſe Imagines, Statuas, &c. ipſius Servi Dei N. Si habuerit cultum? &c.

FINIS.